

ad confirmationem adhibitum, omnium contro-
versiarum finem esse pronunciat Epistola ad He-
braeos, cap. 6. 16. Quin imò hæc civium regni
Christi nota prædicitur, quod sint juraturi per
DEVM verum. Ios. 6 5. 15. Ierem. 4 2. & cap. 12.
16. & ut jurent in nomine DEI præcipitur. Deut.
6. 13.

50. Huc accedit, quòd Lex de Iuramentis
ad legem moralem pertinet, & sub secundū Deca-
logi præceptum refertur, tanquam pars cultus
divini, qui DEO lingua & ore hominis depen-
ditur: Vnde eam sublatam esse nemo dixerit, nisi
qui legem moralem abolitam statuerit.

51. Quoad verba Christi, omnino non juran-
dum esse asseverantis, Matth. 5. 34. nihil indè
patrocini Anabaptistarum errori accedit: siqui-
dem ex scopo totius concionis Christi apparet,
propositum esse ipsi legem de Iuramentis non
planè tollere, sed à scribarum corruptelis phari-
saicis repurgare, qui illam non nisi perjurij cri-
mine violari opinabantur. Christus verò etiam
iuramentis non necessarijs eam ladi docet.

52. Rejicit igitur & damnat Iuramenta non
omnia absolutè & simpliciter: sed Iuramenta
temeraria, quæ nulla justa ac necessaria de cau-
sa, non sine horrenda nominis divini prophana-
tione temere suscipiantur.

Deinde